

III.

am nostrarum Ecclesiarum confessioni affricare student Sacramentarij: à qua usque adeo eae sunt alienae, ut Evangelistarum narrationibus firmiter inherentes, indubitato omnem simulatam actionem excludant, & ascensionis motum de loco in locum vel potius per locum esse factum, donec nubes ipsum susceperit, certo credant & statuunt. Marc. 16, 19. Act. 1, 9.

71. Ideo autem locali hoc ascensionis motu Christus uti voluit, ut testaretur, se nunc visibilem conversationem Mundo subduxisse, & tali modo ad finem usque Mundi, & reditum ad iudicium presentem nunquam ad futurum: qui interim modo invisibili, vi unionis hypostatice, cum λόγῳ, secundum carnem etiam suam longè est, & sicut semper presentissimus: juxta dulcissimam promissionem: *Eccelsum vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Matth. 28, 21.

72. Et hinc apparet ratio diversitatis, imò differentia specifica inter ascensum Christi ad caelos & aliorum sanctorum. Alij in caelum elati, discessum prorsus ex hoc Mundo fecerunt. Quemadmodum de Elia in caelum translato disertè Eliseus affirmat, ipsum in terris amplius non esse 2. Reg. 2. Christus autem ascensurus, nihilominus praesentiam suam in terris promittit. Matth. 28, 18. Alij caelo recipiuntur, Christus caelum recipit